DOMINICI MVSE' CIVIS VENETI

Philosophiæ Doct. Legumq; Ciuilium Profess.

AD SERENISSIMVM PASCHALEM CICONEA VENETIARVM PRINCIPEM ORATIO.



Venetiis, Apud Io. Ant. Rampazettum. MDXC.

DOMINICI MVSE,
CIVIS VENETI
Philosophiae Doct. Legumq; Ciuilium Profess.

AD SERENISSIMVM
PASCHALEM
CICONEA
VENETIARVM PRINCIPEM
ORATIO.



Venetiis, Apud Io. Ant. Rampazettum. MDXC

ORATIO.



CElſitudo, & Maieſtas tuę optimorum habitudinis morum; Sereniſſime Princeps, tali admodum claritate humanos animos afficit, vt quælibet affectiones immoderata ratione conturbatæ, & ſenſibili inordinata inclinatione concuſſæ aptitudinem ad verum, & ad bonum ex neceſſitate aſſequi videantur; vt remanente ſub rationis iugo legitima illa quarumcunque ſuarum actionum libera poteſtate, ea tantum quæ vera, & bona ſint ad ſe trahant; mala vero, & falſa à ſe penitus repellant; vt deinde ſibi ſcopo prçfixo non ad diuerſa progredientes per actum rationis, virtutis, & voluntatis incedentes quærāt ſuam adimplere perfectionem, & vltimum finem adipiſci; quo pro ſtatu iſto beatam (temporaneam tamen) vitā degāt, in alio vero ſæculo ſempiterna, ac nunquam defutura gloria, ſummo, & æterno bono à facie ad faciem contemplando frui queant, & valeant: ex quo fit, vt cunctarum gentium viri ſuarum omnium actionū per rationem, & voluntatem Domini nil aliud habeant quod deſiderent, præter tuorum morum probitatem; ex quorum fonte facillime haurire poſſint, quod ſibi ſuperſit in hac vita pro eorum amore, & delectatione

vltimi à se desiderati finis: Cunctarum etenim scientiarum speculatiuarum conclusiones tibi admodum faciles sunt, vt appareant non per industriam rationis inuentæ, sed tibi naturaliter inditæ; Naturalis verò legis præcepta adeo familiaria, vt cum libet ex te facillime prodeant, quæ iuxta rationis ordinem ad commune bonum ordinantur; ex animi vero tui libera facultate consulendo ex pluribus eligis, quæ iuxta rationis ordinem ad contemplatiuam fœlicitatem manuducere possunt, & in hac vita desiderium humanũ implere, & omne malũ excludere, reflectendoq; in temetipso quatuor illæ cardinales virtutes sæpe à sacris Doctoribus consideratę in te resplendeant: per rationem enim in te naturaliter inditam prudentiam demonstras, per rectam animi tui facultatem, iustitiam; per humanarum affectionum repressionem, fortitudinem, & temperantiá: adeo quod vulnera illa ex defectu primi parentis toti humanæ Naturę inflicta, ex promptitudine desiderij tui semper ad bonum, diuino fauente numine, in te suo ordine destituantur. Quę optima vitę tuæ institutio, & recta animi compositio efficit, vt in ea prorsus perfectá beatitudine sis constitutus, quam summi sapientes inter se discrepantes diuersissime sitam esse cõtenderunt: superabundantiam enim in te esse eorum quę humana industria adinuenit ex facilitate commutationis nemo est qui ambigat, celebre nomen tuum summa cum laude in notitiam omnium diffunditur, extat in te legiti-

ma existendi perfectio, iuxta naturę humanæ exigentiam, desiderium tuum delectando semper quietatur in bono summopere amato à rationabili animæ parte veluti vltimo fine pro statu isto semper intendens ex dignitate potestatis, qua congrue regere possis tibi quæcunque commissa primo principio assimilari, & vsque adeo rectè operando progrederis, quod Natura ipsa habeat quo summopere gaudere possit, nempe quia in tã immensa beationũ coaceruatione nihil vsquã reliquerit, quod in te non admirabili quoddam artificio insinuarit; eam demum vitam viuẽdo, quę secundum virtutis operationem in vitam perfectã desiderari potest. Te instruit igitur Deus per legem, & iuuat per gratiam. Expergiscimini itaque vndequaque peritissimi viri, surgite è somno taciturnitatis, acuite ingenia vestra, explodite temporum horum inertiam, & vnà mecum decantate aureas huius Serenissimi Principis collaudationes, vsque adeo vt per totum terrarum orbem nil aliud resõnet in auribus hominum nisi virtutes, dignitates, excellentiæ, munificentię, Nobilitates, cunctæq; reliquæ animi dotes suæ Serenitatis, vt hæc vniuersalis decantationis fragrantia ex ęquo respondeat completę perfectioni Celsitudinis suę: Nam etsi veteres illi periti tum Græci, tum Latini omnes gloriãtur temporibus suis floruisse Ducem illum Dardanidum, in quo pietatem, & belli peritiam resonarunt, pęnorum Imperatorem, cuius diligentiam, & belli victorias decantarunt, totius Asię, &

maioris partis Europę Principē, in quo arduas belli defatigationes, & munificentiam in singulos prædicarūt, nonnullos Cæsares, & quosdam inter se dissidentes, celeberrimos tamē omnes, in quibus pericula belli, pacem, iustitiam, legum ciuilium disciplinas intonuerunt, nouissima ingenia pernoscant virtutes illas omnes maiores, & in immēsum venustiores, & illis omnibus potiores in dignitate, nobilitate, & potestate Ser.^{mi} CICONEÆ Venetiarum Principis clarè perlucere, & eo longè præclarius ex admiranda maiestate huius Reipublicæ, ex celeberrimo Senatorum consensu, ex nobilitate, & præstanti rectitudine Patrum: in quarum omnium nobilissimarum partium speculatione mens ipsa confunditur, cogitatio euanescit, & intellectus deficit: verū enim uero in hoc ego Mare magno constitutus perpauca attingam, vt inde multa intelligantur, nōnulla eligam, vt exinde infinita perspiciantur: sed forte fortuna dum in hanc tam amplam arenam descēdo occurrent nonnulli dicentes: Hæc pertractāda erant tēpore creationis suæ Sublimitatis dum singulæ subditæ ciuitates in huius Reipublicę sacrario nomen suæ Celsitudinis ad Astra extollendo hilarem earum animū orando demonstrarunt, non modò cum extra tempus sit, & quasi prę ter occasionem: Aberant enim summopere, haud inficias iuerim bene morigeratum Principem qualē hunc familia clarū, gestis illustribus percelebrē in ipsius Principatus adeptione fore laudibus sublimandū, tūc egregie

gie ſactum, & illæ iure merito functæ ſunt officio ſuo: Verumtamen Princeps ille, qui aſſumpto principatu talem ſe in actionibus gerit, qualem optimũ, ac bene morigeratum Principem eſſe decet maioribus, & amplioribus poſtmodum laudibus eſt efferendus, nempe vt luce meridiana clarius appareat cumulationem honorũ in illo fore coaceruationem omnium virtutum vndequaq; reſplendentium: Fuere priſcis temporibus nonnulli Reges, & Imperatores in conſecutione principatus omni laude ſublimati, prout conſuetudo illorũ temporum exigebat, qui deinde in omne vitiorum genus ꝑlapſi, ignari, quibus de cauſis Regna, Imperia, & Principatus conſeruentur paruo peracto tempore in exoſo omnium hominum habiti ſuprema illa dignitate priuati, vel eorum ſtatim vitam miſerè finiere, ſeu aliunde etiam ſordidiſſima quæſiere, ſatis notum exẽplum Tarquinij ſuperbi, & Dionyſij Siracuſani, & aliorum quampluriũ vt in Annalibus eſt legere: Princeps Ser.me quamprimũ vniuerſa Ciuitas te in ſolio Maieſtatis huius Reipublicę repoſitum conſpexit, ſtatim illæ tuę innatæ virtutes incrementum recipientes ex magnitudine, & amplitudine iſtius ſupremi gradus veluti dilucidiſſima ſydera clariori lumine illuſtrata reſplendeſcere cęperunt, ob id modeſtia in geſtu, prudentia in conſilijs, iuſtitia in actibus, temperantia in animi paſſionibus, & fortitudo demum in aduerſo, & proſpero euentu in te per tempora claruere: Eris igitur Princeps non

ſolum hodiernis, ſed futuris temporibus omni laude dignissimus, vt prorſus omnis rationabilis lingua ab huiuſcemodi laudis officio nunquam vacare deberet. Ceſſent igitur (ſi qui ſunt detractores) perſtrepere, & quod ipſi nequeunt, nec præſumunt apertis auribus audiant, noſcantq; ingenui animi fore aliqua ex parte aliquando debitum offitium ſuo Principi referre. Tractaturus ergo tam amplam, tam grandem materiam vnde exordiar? aut quam ex tam innumerabilibus partem aſſumam? ſequar ne vulgarem illam vſitatam, & nimis familiarem methodum qua quiuis facillime vtũtur dum ſimili laudis officio funguntur cum templa, platheas, ſimulacra, inſignia, ædificia ciuitatis extollunt? haudquaquam. Hæc enim cunctis præſeferunt, & in oculis omnium reſident, & ingenium Artificis demonſtrant: at multo altius initium capiam, clariſſimeq; demõſtrabo nullum exterum Principem adhuc extitiſſe, nec modo extare tua Sublimitate fœliciorem, beatioremque, quippe qui Reipub. Venetæ Princeps ſis conſtitutus, vt quemadmodum hæc libera, & bene morigerata Reſp. cunctis virtutibus referta, cæteros omnes totius orbis Principatus, & Dominationes dignitate, & celebritate antecellit, pari modo, ac iure merito cunctis huius ſæculi principibus dignior, & celebrior Princeps, ac omni fœlicitate fœlicior es vocandus: Vetuſtiores proceres expoſita humano cætui Apum politia, deſcriptaq; formicarum induſtria humanam Naturam ad legum

& ciuilis disciplinæ obseruationem extimularũt apertè docendo bonarum artium, disciplinarumq; eruditionem sub optimo, & bene morigerato Principe plurimũ ad ferè ornamenti, & adiumenti mortalibus: Adsunt enim Artes in humana vita percelebres, quæ ad Remp. priuatamq; plurimũ conferunt, quibus agitantur mortales ne torpescant. Quibus excitatæ doctrinis singulæ gentium nationes pro viribus enixæ fuere, verum, iustum, & sincerum imperium constituere, ob idq; ex earum patrio more sibi Protectorem, Rectorem, & Principem statuere: Verum enimuero, quoniam à recta gubernandi methodo longe aberrarunt hac de re tot Regum, tot Principum, tot Imperatorum, tãtarumq; Rerum publicarum euersiones consecutæ sunt, quot in veterum libris proditum est, & vsque adeo tergiuersando peruentum est, vt Imperium tandem erigeretur, quod esset diuinæ mentis imago, cuius recto consilio, & authoritate totus terrarum orbis regeretur; & ideo dum Barbarorum belli ardore plurimæ Christifidelium ciuitates oppressæ, ferro, & igne cadebant, dum terra vndique eorum madefacta sanguine tumescebat, cœlestis Monarchię nutu in sinu Maris Adriatici veluti verę cũctarum gentium matris simulacrum Venetiarũ Ciuitas solennissimo die nempe ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi in refugium desolatorum fideliũ, proq; eorum tutissimo statu erigi cœpit, vt tandem sinus ille, cuius auxilio Christi sanguine redempti à tyrannorum

rabie

rabie tuti remansissent, & in quo tãdem firmissimam eorum angustiarum requiem, nullibi reconditam repe rissent paruo tẽporis spatio ciuitatem talem aleret, & educaret, quæ cacumen suæ perfectionis adepta, in flo- ridoq; statu reposita cęlestibus assũptis viribus totũ ter rarum orbem ab impia tyrannorum manu liberaret, & tutissimam, desideratamq; requiem cunctis offerret. Ea enim inter innumerabiles huius mundi ciuitas est, in qua illa vera regendi, dominandiq; dogmata pullulãt, quæ iussu summi Creatoris ad humanã speciem pace, religioneq; regendam construi, & adhiberi debebant; ita vt Monarchię, Principatus tum vetustiores, tum re- centiores omnes adeo extiterint, quod veluti vmbrę, & figuræ hanc venturam veræ dominationis formã, per- petuam, fęlicissimamq; Rempub. omni bono fulgen- tem, cunctisq; virtutibus repletam indicarent: Quid enim aliud Lacedæmoniorum continentia, iudicium Atheniensium, Romanorum virtus, Pęnorum diligen tia testabantur quam Venetorum futuram clementiã, fidem, sapientiam, disciplinam, firmam, stabilemq; iu- dicandi, & bene regẽdi facultatem? Quarum æquidem modicam virtutem, quoniam non minora vitia æquã- bant, Romanorũ enim virtuti, seueritas; iudicio Athe- niensium, tarditas; Lacedæmoniorum continentię, va nitas, leuitasque; Pœnorum diligentiæ, perfidia oppo- nebatur; nemini mirum, si vnà cum earũ dogmatibus, & institutis veluti non iure peractis, breui tempore ce- cidere:

cidere: Quæ enim præcepta illę Resp. statuerunt, illa experimentis pluribus compulsæ, & solo arbitrio præceperunt, & adeo inter se discrepātia, vt id quod ibi virtus dicebatur alibi vitium haberetur, & pro constituentiū, & incolarū opinionibus, prout cuiusque expostulabat regionis institutio inualescebant: At Venetorū Ciuitas, quam nulla alia diuersa dominandi ratio subsequetur, nec alia diuturno tempore vnà cum illa remanebit: quoniam quacunque parte conspicitur, non nisi Iustitia, Religio, Clementia, Prudentia, cæteraq; cunctæ cœlitus demissæ virtutes apparent, absq; macula diuturno tempore viuet, vsq; quo ea Duce iuxta Redemptoris nostri Euangelium fiet vnum ouile, & vnus Pastor; merito quæ ordinatione huius Reipub. acta sunt, ea semper necessaria, & immutabilia remanebunt, nēpe quia non Natura, aut hominum cōsuetudine, sed diuino Numine prodierunt: Est igitur ius Venetorum proprium, & verum ius, veram iustitiam continens, ob idq; à singulis amplectendum, ac toto terrarum orbe obseruandū: Iure itaque tot egregios, præstantes gignit, & alit viros non solum omni doctrinæ genere præcellētes, verumetiam pari morum integritate, pariq; modestia præditos, vt ita demum in ea talis celebris eruditissimorum hominum cętus appareat, qualis in quacunq; alia Rep. aut Principatu vnquàm conspici potuerit, aut possit; ex qua sola virtutum omnium ciuilium exempla omnia peti possunt, apudq; ipsius ciues cunctarum virtutum

dotes

dotes cuncti perſpicere valent. Hic enim veræ Religionis cultus alitur, hic fundamenta pacis augētur, hic imperium ciuium libertate munitur, hic Senatorū grauitas, hic deniq; in ſingulis optimatibus ſumma integritas, ſingularis prudentia, mira modeſtia, ac venerabilis Maieſtas ſumma cum admiratione ſuſpicitur, vſq; adeo vt nemo ſit qui alibi vmquam expertus fuerit humanius, vel viderit omni virtutum genere cumulatius: Cui equidem ſic bene inſtitutæ Reipub. quibuſq; proceribus tam eximia laude digniſſimis, ne quid vnquā deficeret, ſed illa in omni parte perfectiſſima contemplanda remaneret. Te PASCHALI CICONEA Principe Diuina manu dotata remanſit, vt omnes clarè perſpiciant magnitudini, & dignitati Reipu. ex æquo reſpondiſſe ſummum Principem tum familia clarum, tū etiam virtute nemini ſecundum. Auitum enim genus tuum non ſolum fuit multis ſeculis, atque nunc tua rerum omnium peritia extat percelebre, verum & vniuerſa Familia tua, quæ cōtinuis temporibus percelebres viros progenuit: Iure meritò igitur cuncti ſumma fœlicitate lætari queunt, quippe qui nacti ſint te Principē pluſquam optimum, & optimo meliorem, & adeo mira facundia, rara modeſtia, incredibili ſapientia, ſumma iuſtitia, præcipuo honore, ac probatis moribus præditum, vt nullus alius Princeps ſit tibi ęquandus: Dij boni quantum riſus, quantum plauſus, quantū tripudiorum cunctę ciuitati allatū eſt te Principe declarato, vſq;

adeo vt vniuersus populus insolita quadam lætitia tangeretur: nec frustrata est cõscriptos patres tui expectatio, tu namque niueis probate moribus talem semper te præbuisti, vt te omnium parentem moribus exprimeres, ac effecisti vt animi tui probitas cunctos Ciues commoueret, vt ipsi è morum tuorum fructibus ad optimum vitæ institutum idonea deligentes optimi ciues euaderent, & adeo viuam quandam imaginem tui, pectori insculpsisti optimorum Ciuium, vt vix etiã mors ipsa sit abolitura: Generosam vero animi tui Celsitudinem erga patriam, ac summam sapientiam in te reconditam, singulasq; tui dotes si quis admirando contempletur, Deum immortalem, qua virtute, qua doctrina, qua pietate virum? quam grauem, quam sanctum repe riet? Nam etsi omnes sibi malunt esse recte quàm aliis, tu verò tuo incommodo patriæ bene esse polliceris, & adeo conatus tuos, omnia vitæ studia semper huc dirigis, vt nõ tuis priuatim commodis consulas, sed vti patriæ qua nihil dulcius existimasti, Ciuibusq; tuis quamplurimum prosis, efficisq; vt omnes intelligant omnia tibi deesse potius quàm fidem in patriam, & diligentiã in Ciues: Te enim ipsum oneras, vt illos subleues; te ipsum laboriosissimis studiis fatigas, vt fragranti in te erga bonos mores studio tuos ciues quàm optimos, quãque eruditissimos reddas, eosq; ad bene, beatæq; viuendum erigas, & inflammes; vt ita bene assueti ruç eruditioni respondeat eorum morum integritas: Laborando

do enim quiescis,& quiescendo laboras. Quis deinde lepos in verbis,quæ in cũctis Ciuibus optimis excipiendis humanitas, qui exactæ sapientiæ semper interiecti sermones apparebunt? incredibile est quantum variis litterarum,& rerum experimentis abundes,vt nihil vel tam minimum,vel tam maximum existat,quod te fugiat aut locis visum,aut libris cognitũ; & adeo facundus es,vt tecum nemo sit conferendus, tàm eruditus vt tibi nemo sit ęquandus,tàm prudens vt parem non inuenias,& demum tàm sapiens, vt nullum omnino doctrinæ genus sit in quo non sis exquisitè versatus. Historiarum verò tum veterum,tum recentium quicquid ęst ab egregiis authoribus repertum, & traditũ,id vniuersum vnus absolute perceptum,cognitumq; habes; & ideo cuncti gaudent tuo frui colloquio,doctisq; verbis,ornata & perpolita oratione,& dignis cognitu atq; auditu sententiis: Teq; propterea cũcti venerandę probitatis virum veluti literarũ omnium pelagus,ac ætatis nostræ diuinum specimem,ob idq; cęteris principibus Principem iure præferendum conspiciunt; priorem enim te non vidisti, ac secundo cares: Illud haudquaquam de summa tua iustitia prætereundum est silētio; Ciues enim omnia summa de te Principe iustissimo promittunt,cùm nullum facinus impunitum, nec aliquem innocentem condemnatum iri permittas. Te enim auspice non omnibus datum est,vt impunequę lubeat,faciant,sed quod sit æquo,bonoq; cōsentaneũ

Quibus

Quibus egregiis virtutibus, ornatus infinitis partibus longè venustior, multò grauior, ac in infinitum vtilior semper Ciuibus tuis Princeps euasisti: Nemini mirùm si omnes, ad quos præclara nominis tui fama peruenerit, non possint non vehementer laudare singularem illam Reipublicæ administrationem, & intimam animi tui pietatem: O, singularem Principis benignitatẽ; nam etsi omni laude, gloriaq; sis dignissimus, hoc minus laudari gaudes, gloriæq; es negligentissimus: Esto itaque demum Princeps omniũ beatissimus, sanè quia in culmine virtutum omnium resideas, fęlicissimæque, & veræ pro libero hominum victu Reipublicæ præsis. Cuius Maiestas, & Amplitudo toto terrarum orbe prędicatur: ad quod equidẽ summæ gloriæ cacumen properasti ob tua benefacta Reipublicæ, quæ virtute, & innocentia coronasti. ò, nos itaque tali felices Principe, cæteris enim hominibus beatiores iure merito dici possumus, & ideo summas gratias Deo optimo maximo agere debemus, qui talem Principem omni bono fulgentem huic Christianissimę Reipublicę pręesse statuerit, vt ex ipsius benè institutis moribus facilè carpere possimus, quod nobis ad bene, beateq; viuendum conferre queat, & possit, & quandiu nobis fata cõcesserint liberè vitam ducere valeamus, & demum quando spiritus ex corporis domicilio demigrare contingerit, summum, & æternum bonum contemplemur, & contemplando fruamur: interim semper Deum immortalem

summo

ſummo animi ardore precantes, vt quicquid decreueris nobis fœliciter cedat, tuaq́; cepta ſecūdet, ac te tuorum votorum compotem efficiat, & reddat, gratiamq́; nobis impartiatur, vt hic annus tibi beatis auſpiciis ineat, lætioribus procedat, beatiſſimus exeat, ac ſæpius recurrat ſemper auſpicatior, fœliciorq́; vale diu, & vale felix.

D I X I.